

Imò si ad acescentiam usque chylus in ventriculo digeratur, meliore forsan jure ad *Δυσπεψίαν* refertur.

THES. VI.

Non abs re tamen erit, nec ab instituto hoc meo planè alienum, pro commodiore hujus affectûs explicatione de *actione chylicatoria* s. n. se habente, ejusque fiendi modò pauca supponere.

THES. VII.

Quæ ut ritè perficiatur, debita alimentorum, imprimis solidiorum, *preparatio* præcedat necessum est, quam præstat os, dentibus & salivæ fontibus instructum; ratione illorum molæ microcosmicæ munere fungens ad eò necessariò, ut provida natura summi creatoris auspiciò animalibus illis, quibus dentes vel ex toto, vel ex parte defunt, singularem ventriculi structuram concesserit, machinæ adeò necessariæ defectum quadruplici culinâ, ut in ruminantibus, vel duplici saltem, ut in pennatis granivoris, grana non excorticantibus, compensatura.

THES. VIII.

Nec minoris ponderis est alteratio illa, quam à salivæ, spiculis salinis dissolventibus turgidæ, comuniscela expectant ac sustinent assumpta, utpote quæ primam horum liquefactionem ac dissolutionem inchoat, & instar menstrui cujusdam universalis mirificè ad alimentorum quasvis particulas se habet: adeò, ut per aliquot saltem temporis momentula in ore volutata quoad sâpores & odores sensibiliter fatis immutata compareant.

THES. IX.

Deglutitis verò cibus hòc modò per masticationem præparatis, ventriculus munus suum chylicatorium aggreditur, adjutus imprimis menstruò illò universali animali, fermenti nomine aliàs veniente, & salivæ ut ovum

OVO